

ut est verisimile, ex c. 14, l. 1, ubi bellum gessisse dicitur cum rege Soba. Ubi fuerit Soba, non constat. Sophenorum hunc Josephus regem fuisse tradit, lib. 7, c. 5. Sed est certum regnasse in Syria, non procul ab Euphrate, quando civitates quasdam suæ voluit adungere ditioni, quæ erant ad Euphratem. Quæ civitates, licet tunc non essent in Hebræorum potestate, ad Hebræorum tamen sortem pertinere constat ex illis locis, quæ terminum terræ promissionis in Euphrate flumine constituunt, ut Deut. 1, v. 7; et c. 11, v. 27, et mille aliis. Hæc verò, ut putat Abulensis q. 8, causa præcipua fuit, licet aliæ plures non defuerint, cur David aggressus bello fuerit Adarezer, quia regionem in Hebræorum fines contributam noluit in illius venire potestatem. Non facile ex textu deduces, an David proficisceretur, ut civitates occuparet quæ sunt ad Euphratem, vel Adarezer, quia dicendi modus non huic magis quam illi favet: pro Adarezer stant Dionysius et Hugo, pro David Abulensis, Vatablus et Mariana. Et huic posteriori sententiæ libentius subscribo, quia Hebraicè est *leasib*, id est, *ut reduceret*, quia fortassè defecerat; et ita vertunt Tigurina et Isidorus. Sed regio illa non defecerat ab Israel, quia nunquam ab eo possessa fuerat.

VERS. 4. — ET CAPTIS DAVID EX PARTE EJUS MILLE SEPTINGENTIS EQUITIBUS, ET VIGINTI MILLIBUS PEDITUM, SUBNERVAVIT OMNES JUGALES CURRUM. Attulerat, ut apparet, ad debellandas civitates illas, quæ erant ad Euphratem, magnum apparatus militarem Adarezer, quem totum converit contra Davidem, qui illius voluit occurrere consiliis, sed alio exitu quam ipse sibi proposuerat. Nam totus ille exercitus, quæ cæde, quæ fugâ, quæ denique captivitate in servitutem adductâ, dissolutus est. Numerus tam equitum, quam currum ac peditum, satis est expressus tam hic, quam l. 4 Paral. c. 18. Sed est illud obscurum valdè et explicatu difficile, quia cum eadem narretur historia libro citato Paralip., non tamen idem ponitur equitum numerus; qui captus esse dicitur à Davide: hic enim mille ac septingenti equites dicuntur esse capti; in libro tamen Paral., septem equitum millia. In componendo hoc Mediterraneum ad Occidentem, et Euphrates ad Orientem, ut patet Deut. 1, 7, et cap. 11, 24. Quare quidquid inter mare hoc et Euphratem interjacet, jure divino ad Judæos pertinet. Hæc ergo justa belli causa fuit Davidi invadendi Soba, tanquam ad se et Judæos pertinentem. (Corn. à Lap.)

tam dispari captivorum numero multus est Abulensis q. 13. Et statuit primum in libris Paral. multa addi, quæ in libris Regum fuerant omissa, explicari plurima, quæ ibidem tradidebantur obscurius. Quod sanè verum est ut probant exempla quæ eo loco Abulensis adducit. Hoc ergo loco nihil audimus de quadrigarum numero; sed illum ex Paralipomeni citatus locus expressit, dum dicit, quadrigæ fuisse mille; in quibus necesse fuit plurimorum equites esse portatos, qui in l. Regum prorsus omittuntur. Quis autem dubitet in quadrigis mille, quinque mille et tercentos equites vehi posse? Quibus si addideris mille et septingentos, quorum liber ille Regum meminit, septem mille numerabis, quos in libro legis Paralipomenon. Meminit autem liber Regum eorum tantum equitum, qui singularibus equis vehebantur, non junctis ad currum; et hi tantum fuere mille ac septingenti. Porrò illos, qui quadrigis vehuntur, equites appellari non est in Scripturâ sacrâ inusitatum. Sic sanè vocatur Isaia c. 21, v. 7: *Vidi currum duorum equitum*, id est, in quo duo vehebantur. Et v. 9: *Vir bigæ equitum*. Et c. 22, v. 6: *Currum hominis equitis*. Neque verisimile est, cum Hebræos fugientes currus insequerentur et equi, Pharaonem regem non tam insedissee equo, quam vectum esse currum; et tamen Exod. c. 15, v. 19, eques dicitur ingressus esse mare. Et nisi equites dici possent, qui vehuntur in currum, non diceretur Cant. 1: *Equitatus in curribus Pharaonis*.

SUBNERVAVIT OMNES JUGALES CURRUM (1); DERELIQUIT AUTEM EX EIS CENTUM CURRUS. Fuisse dicuntur in castris Adarezer currus, quo tamen numero non audimus; neque sciremus, nisi in libro Paralipomenon esset expressus. Ex mille curribus centum tantum sibi reservavit, reliquos perdidit, et currules equos suffractus cruribus reddidit inutiles. Cur verò tam equos quam currus alios perire voluerit, aut ideò fuit, quia in ipso conflictu diffracti fuerant currus et equi saucii, et utriusque sic malè vexati atque concisi, ut nullum possent usum præbere rei bellicæ aut rusticæ. Aut quia Deut. c. 17, v. 16, interdicitur regi equorum mul-

(1) Incertum est autem, utrum ita iis equis nervos succiderit, ut cuilibet usui inepti efficerentur, vel ita impediit, ut bello quidem impares essent, agriculturæ tamen, aliisque operis sufficerent. Si enim ineptos cuilibet rei reddere voluisset, necasset potius quam nervos succidisset. Aquila: *Ἐξοπλίαν*, omnino illos delevit. Septuaginta *Παροδύσε*, infirmavit eos. Symmachus: *Ἐνευροκόπησε*, succidit illis nervum femoris. (Calmet.)

tudo: *Cumque fuerit constitutus (rex) non multiplicabit sibi equos*. Et hoc puto verius. Neque alio consilio arbitrator, Josue c. 11, v. 6, jussum esse à Deo Josue, ut inimicorum subnervet equos, et currus igne comburat, nisi ut servet legem eo loco Israelitarum regi præscriptam Quod reipsâ, ut imperatum fuerat, præstitit Josue, de quo dicitur statim v. 9: *Equos eorum subnervavit, currusque combussit igne*.

VERS. 5. — VENIT QUOQUE SYRIA DAMASCI. UT PRÆSIDIUM FERRET ADAREZER. Syria latissima regio est, quæ multas continet, amplissimasque provincias, quarum una est, quæ Soba dicitur, seu Sophena, in quâ regnavit Adarezer; alia ea, cujus caput erat Damascus, ut habes Isaia c. 7, quæque ideò hoc loco Syria vocatur Damasci. Syri itaque Damasceni cum vicinum regem malè viderent esse concisum à Davide, et suo sibi capiti è vicino detrimento metuerent, exercitum comparant copiosum, illumque pro Adarezer instruunt contra Davidem, non tamen exitu meliori. Nam et victi sunt, et quotannis vectigalia dependere coacti. Et sicut Palæstinis frenum imposuit, seu stimulum tributi, constituto apud illos militari præsidio, sic etiam in Damascenâ Syriâ præsidium constituit militare, quo gentem illam in officio ac fide contineret.

VERS. 7. — ET TULIT DAVID ARMA AUREA (1), QUÆ HABEBANT SERVI ADAREZER. Arma nomen est commune: caput ex Paralip. sæpius citatum speciem expressit, dum ait, fuisse pharetras aureas, quas secum gestabant servi Adarezer, illi videlicet, quibuscum eo tempore congressus est David, aut quæ ad illum usum in armamentario regio servabatur: unde constat, quam opibus et deliciis afflueret rex ille, cujus tam esset splendida bellica suppellex. (2)

VERS. 9. — AUDIUIT AUTEM THOU REX HEMATH QUOD PERCUSSISSET DAVID OMNE ROBUR ADAREZER. Hemath eadem est, quæ Epiphania, vel Antió-

(1) Syriacus: *Pharetras aureas*. Arabs: *Balteos aureos*. Chaldaeus: *Scuta aurea*. Aquila: *Κλαυδὸς χρυσοῦς*, torques aureos. Alius interpres: *ὄπλα τὰ χρυσαῖα*, arma aurea. (Calmet.)

(2) BETH ET BEROETH. Bete facile est urbs Baltha vel Baltha in Syria, inter Beroeam et Hierapoliim, è quâ 21,000 passibus, teste Itinerario Antonini, abest. Beroth eadem fortassè est cum Beroeâ Syria, inter urbes Cyri et Chalcidis, et à Chalcide 18,000 passibus remotâ. Collocat illam Plinius inter Arethusam et Epiphaniam. Numquid est *Berytus*, sive *Barutus*, ad septentrionem Sidonis, urbs mediterranea? Beroeâ etiam valdè multum distat.

VERS. 10. — JORAM. Alio nomine Adoram, l. Paralip. 10. (Calmet.)

chia dicitur Syria, ut dicit Hieronymus in Zachariam cap. 9, quod illi nomen imposuit Antiochus Epiphanes. Hujus rex Thou vehementer est lætatus, cum vidit prostratum Adarezer, quia cum illo longas habuerat et graves inimicitias. Quare gratulatus est per filium de victoria, à quo ut gratiam iniret, et cum illo fœdus societatemque componeret, dona misit tanto principe atque victoriâ non indigna, vasa nempe pretiosa ex auro atque argento et ære. Quæ omnia David consecravit Domino ad templi ministeria, ad cujus fabricam jam antea animum adjecerat: sicut etiam quæcumque alia de variis provinciis, quas armis debellarat, erepta, ex quibus postea conflavit Salomon vasa, quorum usus erat ad templi ministeria necessarius, ut habes Paralip. lib. 1, cap. citato. Porrò, quod Hebræi putant, ut docet Hieronymus in Tradit. Hebr. super Paral., filium Thou oneratum muneribus missum esse cum dolo, nescio undenam sibi persuadere potuerint, quomodò his subesse possit dolosum aliquid (1).

VERS. 13. — FECIT QUOQUE SIBI DAVID NOMEN, CUM REVERTERETUR CAPTA SYRIA IN VALLE SALINARUM (2). *Vallis Salinarum* extra Syriam est, non longè à mari, quod Mortuum appellatur, vel Salsissimum; et pertinet ad Idumæorum terminos. Cum igitur spolia sæcum referret ex Sy-

(1) VERS. 11. — QUÆ SANCTIFICAVIT REX DAVID. Exuviarum partem Domino consecrare solebant victores. Quem morem nemo religiosius quam David servavit. Legimus in 4 Paralipomenon 26, 26, suum fuisse præfectum eustodem sacri ararii, quò David et principes tributum, duces et præfecti militares spoliolum hostilium ditissima intulerant. Erant inter cætera munera à Samuele, Saule, Abner, et Joab collata. (Calmet.)

David consacra au Seigneur des vases d'or et d'argent, avec l'or et l'argent qu'il lui avait déjà consacré de toutes les nations qu'il s'était assujetties. Le même chapitre qui nous décrit les victoires de David, nous marque par deux fois qu'il consacrait à Dieu les dépouilles de ses ennemis. Ces deux choses sont liées ensemble, et l'une dépend nécessairement de l'autre. Si nous ne combattons que pour Dieu, et si nous lui rapportons tout l'honneur de la victoire que nous aurons reçue de lui, il combattra pour nous, et il nous rendra invincibles dans cette guerre spirituelle que nous avons avec des ennemis qui sont mille fois plus à craindre que ceux de David. (Sacy.)

(2) Septuaginta legunt hic *Idumæam* pro *Syriâ*, eamque lectionem confirmat, qui proxime sequitur, versiculus, ferens Davidem præsidia constituisse in Idumæâ, totamque regionem ejus imperio subditam paruisse. In Paralipomenis, ubi hæc historia recitatur, non nisi de Idumæâ mentio est; nec aliter etiam legitur titulus psalmi 59. Plura occurrunt in textu He-

riâ jam subactâ, et victoriarum cursu alacres reddidisset militum animos, aggressus est etiam Idumæos; qui licet cognati essent, non tamen ab illis minùs vexabantur hostiliter Hebræi, quàm ab aliis quibuscum nulla intercedebat sanguinis communitas. Ex quibus cum octodecim hominum millia peremisset, magnum sibi nomen apud omnes obtinuit. *Vallis Salinarum* Idumæorum cædibus et Israelitarum victoriis celebris fuit: nam post hanc Davidis victoriam postea Joab in eadem valle duodecim Idumæorum millia occidit, ut in Tradit. Hebr. ad lib. Reg. colligit Hieronymus ex titulo Psal. 59, qui sic habet: *Cum succendit (David) Mesopotamiam Syriæ, et Sobal, et convertit Joab, et percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millie.* Deinde Amasias, de quo 4 Reg. c. 14: *Porrò Amasias confidenter eduxit populum suum, et abiit in vallem Salinarum, percussitque filios Seir decem millia; et alia decem millia virorum ceperunt filii Juda,* etc. De hoc iterum lib. 2 Paral. c. 25. Hoc tempore, et in hos intentos præclaros rerum eventus cecinit David Psalmum 59, qui incipit: *Deus, repulisti nos.* Huic bello videtur fuisse præfectus Abisai frater Joab, ut habes loco sæpiùs ex Paral. citato,

bræo exempla, quibus nomen *Aram* Syriæ, pro *Edom*, Idumæa, exhibetur. Litteræ, quibus utrumque nomen scribitur, persimilem figuram in originali referunt.

VALLIS SALINARUM excurrere fertur in extremam oram meridionalem maris Mortui; nomen autem suum debet vel nitro quo abundat, vel bitumini quo scatet, vel denique proximo mari Mortuo quod Hebræi *mare salis* appellant, uti et vallem hanc, *Vallem salis*. Verùm cum alibi à nobis animadversum sit, opus esse ut Idumæa, quæ à Davide, cum è Syriacâ expeditione reverteretur, subacta est, ad orientem terræ sanctæ statuatur, in eadem pariter regione vallis Salinarum quærenda est. Occurrit autem in Palmyrenâ, quæ intra Syriam Soba continetur, ter mille circiter passibus à Palmyrâ, vel Thadmor ad meridiem, Idumæam versùs procedendo, ingens planities salis, ex quâ universæ Syriæ sal sufficitur. Ibi fortè David fregit Idumæos, quos habuit obvios, cum è bello Syriaco regrederetur. Jacet ea vallis duorum circiter dierum itinere à Bosrà, Idumææ orientalis metropoli. Hanc autem tenebat viam David è Syriâ Sobâ Jerosolymam revertens. (Calmet.)

Mysticè S. Greg. 5 Mor. 14: « David, inquit, valles Salinarum percussit, quia videlicet Redemptor noster suæ distinctionis examine, in his qui de illo prava sentiunt, stultitiam immoderati saporis extinguit, juxta illud Roman. 12: *Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* » Vallis ergo Salinarum representat *calorem immoderatæ sapientie*. Verba S. Gregor. more suo transcripsere Eucherius et Angelomus. (Corn. à Lap.)

v. 12: *Abisai verò filius Sarviæ percussit Edom in valle Salinarum decem et octo millia.* Qui etiam ibi dicitur constituisse præsidium, quod in l. 2 Regum adscribitur Davidi. Neque novum est in omni natione, ut quæ ab exercitu gesta sunt, illa ab imperatore summo gesta esse dicantur.

Porrò in *valle Salinarum* tot Idumæorum millibus occisis nomen sibi fecisse dicitur David. Quale verò illud sit, dubitant interpretes, Lyra tradit Hebræis visum esse à Davide triumphalem arcum in valle Salinarum esse constructum, in quo rerum ab ipso gestarum esset æternum monumentum, quale è saxorum firmitate sperari posset. Quod Lyra ipse non probat, quia id ambitiosius videbatur, quàm Davidis religionem et modestiam deceret. Quare fornicem illum et ambitiosum spiritum non minùs respueret Dominus, et improbarent homines, quàm improbârunt illum quem lib. 1, cap. 15, subactis Amalecitis excitavit Saül. Quæ ratio Dionysio non videtur habere plurimum momenti, cum excitari potuerit his additis notis et argumentis, ut ad divinam gloriam spectaret, et nullo modo intueretur humanam. Qualia nunc videmus magnis sumptibus à mortali manu ad divinam laudem erecta monumenta. Neque est improbable, si modò fornicem erectum esse fateamur, descriptum esse à Davide in triumphali fornice Psalmum illum 59, cujus titulus harum meminit victoriarum, post quas David dicitur fecisse sibi nomen. Quare illam cogitationem de fornice non improbat Abulensis q. 16, neque Dionysius et Hugo; tenet expressè Glossa interlinearis.

Propter hoc magis videtur probare, quod de Davidis nomine censuit Rab. Salomon, quòd sempè consecutus est magis propter pietatem, quam in Idumæos exercuit, quàm propter bellicam virtutem, quâ tot sibi provincias subjugavit. Neque enim Idumæos, quos ferro confecerat, insepultos reliquit, sed quasi cognatos et fratres sepulturæ mandavit. Quæ res majorem Davidi gloriam peperit, quàm rerum bello gestarum magnitudo.

Ego potiùs existimo, *nomen*, quod sibi fecisse dicitur David, neque esse erectum fornicem, neque aliquod aliud bellicæ virtutis monumentum et signum, sed res ipsas bello gestas: nam cum multa prælia habuisset secunda, neque aliquid in tanto ac tam vario inimicorum instructu militari accidisset adversi, magni ducis et principis nomen consecutus, quem timerent omnes, et quocum vellent inire sociale fœdus,

In quam sententiam inclinant Abulensis, Vatablus, Dionysius et Hugo. Et quidem id in Scripturâ valet, *facere sibi nomen*. Certè non alium sensum habet illud capitis proximi v. 9. *Fecique nomen grande juxta nomen magnorum, qui sicut in terrâ* Et illud 1 Machab. 5, v. 57: *Faciemus et ipsi nobis nomen.* (1)

VERS. 15. — ET REGNAVIT DAVID SUPER TOTUM ISRAEL (2). Non solum regnasse dicitur David super totum Israel, quia duodecim illi tribus suberant, cum tantum priùs uni præseset tribui Juda, sed quia quiddam ad Israelis possessionem pertinebat, obtinuit; quod ne-

(1) VERS. 14. — POSUIT IN IDUMÆA CUSTODES, ut provinciam suo nomine gereret. Misit præfectos, ut jus dicerent; cæsis decem et octo millibus, de quibus modò actum est, Joab eò venit, trucidavitque quoscumque obvios habuit ex Idumæis toto sex mensium spatio, quo ibi moratus est. (Calmet.)

FACTA EST UNIVERSA IDUMÆA SERVIENS DAVID. Hic impletum est oraculum et benedictio Isaaci dicta Jacobo 27, 29: *Esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ.* Idumæi enim ex Esaù fratre Jacobi prognati, hic servierunt Davidi ex Jacobo descendenti. Ita Procop. et Theodor. Unde tunc David composuit psalm. 59, ubi inter cætera ait: *In Idumæam extendam calcamentum meum;* id est: Idumæam quasi victor possidebo, subjiciam et calcabo. Adhibant enim possessionem impositione calcei, sive calceo calcando rem possessam; unde Chald. vertit: *Super Edom projeci calcem meam.* R. Emmanuel vertit: *In Edom projeci chirothecam meam,* quia, inquit, mos erat regum, cum urbem aliquam munitam obsidebant, ut chirothecam in urbem projicerent, quò significabant se ab urbe non recessuros, nisi eâ captâ, et chirothecâ receptâ. Et hoc est, quod dixit Cicero in Philip.: « Solet enim ipse citò accipere et manicas (chirothecas) nec diutius obsidionis et metum sustinere. » Hæc ille. Verùm Hebr. *naal*, calcem, non chirothecam significat.

Tropolog. David, id est, Christus, regnat in Idumæâ, id est, rubeis et carnalibus gentium cordibus, dum per gratiam ea efficit spiritualia et cælestia. Ita S. Augustin., S. Hieron. et alii in psalm. 59. (Corn. à Lap.)

(2) *David régnaît sur tout Israël, et dans les jugements qu'il rendait, il faisait justice à tout son peuple.* Après que l'Écriture a représenté le courage de David dans ses combats, et sa reconnaissance dans ses victoires, elle ajoute aussitôt le soin qu'il avait de rendre justice à tout son peuple. Car c'est là proprement le devoir des rois: ils sont les arbitres des hommes sur la terre comme Dieu l'est dans le ciel; Dieu diffère quelquefois à l'autre vie à faire justice, mais les princes la doivent faire présentement, et ils deviennent les imitateurs de celui qui leur a mis la couronne sur la tête, lorsqu'ils aiment à être comme lui le soutien de leurs peuples, la terreur des méchants, l'appui des bons, l'asile des faibles et des opprimés. (Sacy.)

que judices antiqui populi, neque proximè Saül, sibi ac populi juri vindicaverant. Nam regiones, quæ erant ad Euphratem, qui terminus erat terræ promissionis, alieni possidebant; item Palæstinorum regio et magna pars Syriæ, neque Jebusæi ad tempus usque Davidis è suis fuerant sedibus expulsi: hos tamen populos, qui aliorum antea parebant imperio (si unum aut alterum excipias), aut expugnavit David, aut reddidit Israeli tributarios. Quæ verò exigua sunt, et aliorum comparatione instar obtinent nihili, non faciunt, quominùs alia totius sibi compellationem assumant. Toti itaque Israeli imperavit David, quia ad terminos à Domino descriptos extendit Israelis imperium.

FACIEBAT QUOQUE DAVID JUDICIUM ET JUSTITIAM CUNCTO POPULO SUO. Magnus existimatur Caius Cæsar, quia non solum armis subjecit gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, sed quia eo fuit ingenio, ut moderari optimè nõset rempublicam, et quòd rationem astronomicam ita cognoverit, ut cursus quodammodò cælestes metatus digresserit tempora, et novam toti mundo temporum dispensationem induxerit. Hanc sibi laudem noster quoque comparavit David, qui incredibili virtute ac celeritate confecit bella, regiones subjugavit eò usque subjugatas à nemine. Et ad hanc laudem illud adjectum, ut rem constitueret profanam et sacram: ita ut in eo nullus aut in præliando virtutem et audaciam, aut in religione pietatem, aut in republicâ optime administrandâ prudentiam desideret. Quæ de re alio loco pluribus. Nunc summam, quæ, et quorum fidei ac curæ credita fuerint publica ministeria describit.

VERS. 16. — JOAB AUTEM FILIUS SARVIÆ ERAT SUPER EXERCITUM (1). Ordinavit primùm, aut

(1) Joab arcto necessitudinis vinculo cum Davide junctus erat, utpote natus à Sarviâ Davidis sorore. Ingenio vir ambitioso, in vindictam præcipiti, audaci, allicis et bellicis artibus excultissimo, omnia viribus et armis tribuens, nihil æquitati atque officio. Achillem tum bonis, tum malis dotibus omninò dixeris: *Jura negat sibi data, nihil non arrogat armis.* Non uno nomine bene de Davide meritis fuerat, nemo enim majori usui sive ad conferendum, sive ab asserendum illi regnum fuerat. Ejus tamen superbiam ac sævitiam ipse David oderat. Cum summum in copias Israelis imperium gereret, ipse David illum verebatur. Jam olim copias Juda moderabatur, quo tempore David Hebrone regnabat; at idem sibi munus in omnem latè Israelis exercitum sibi tum confirmavit, cum egregio militaris virtutis facinore primus in Jerosolymorum nœnia evasit, dum ab armis Davidis, regnum tunc ineuntis, cingebantur. (Calmet.)